

lant ii òmnes qui prænunciare, nominatim etiam, & ex longo temporis intervallo audent, non qua hebdomade tantum, sed quo die serenitas, pluvix, nix, grando, tonitrua, fulmina &c. sint expectanda; satis temerariè quidem, nec sine Summi Numinis injuria, cui soli futurorum contingentium, præsertim ab indefinitis causis dependentium, præcognitio vindicanda est.

XXIV. Equidem haut inficiamur, in crastinum aut perendinum diem haut rarò nos ipsos feliciter pluviosæ tempestatis cum serenitate vel contrà permutationem prædixisse, eventu prædicta satis confirmante; nimirum ex fundamentis Phæn. XVIII. & ex hypothese observatæ ventorum mutationis, ejusq; qui in præsens spirabat in posterum quoque tertiumve diem continuaturi: quæ hypothese, ut sæpe contingit, fallente (nec enim, dum in Horizonte nostro spirantem v. g. ex oriente ventum occidentali pluvioso derepente successisse videmus, insimul scire aut videre possumus, quænam sit in aliis circumjacentibus proximè regionibus aliisq; his porro conterminis, ventorum aliarumque tempestatum ratio, à quibus tamen singulis, & illis quidem iterum ab aliis non paucioribus, nobis pariter incognitis ac incertis, porrò dependentibus &c. illius nostræ vel constantia vel inexpectata iterum mutatio, suspenditur) fallitur etiam sæpius illa nostra conjectura; imò non fallente etiam hypothese, & continuante eodem vento, falli tamen aliquando prædictiones nostras Phæn. XIX. ejusq; ratio num. XX. hujus abundè nos docuerunt. Scilicet uti prudens aliquis medicus ex præsentis ægotantium statu magnam partem perspecto & investigato, signisque adeò satis evidentibus, de morbi vel solutione vel funesto & insuperabili vigore, haut rarò satis exactè futura in dies paucos conjectat, aliquando vel proximâ nocte vaticinii spem aut metum jam delusum sentit, quòd innumera interim intervenire & prædictionum fundamenta subvertere potuerint, quæ omnia nôsse ac circumspicere omnem humanam sagacitatem excedit; tantum abest, ut in longa tempora & multos annos vel Sanitatem vel morbidum corporis statum homini suæ curæ commisso, nec alioqui vim suo corpori petulanter facienti, vel cum specie aliqua probabilitatis, ad certum aliquem sive diem sive mensem, cum effectu quidem, prædicere valeat; siquidem Morbi vel maximè inter effectûs casuales censendi videntur, h. e. inter eos, quorum causæ producentes sunt innumera, ex diversis locis, diversis

versis